

turpe significatur in rege: sed cum esset æstiuum tempus (videlicet mensis tertius à sole in ariete) scriptum est quòd iuerunt ad bibendum cū regina, magis enim bibitur quàm comeditur æstiuo tempore: & lætificata iam corda ex vino significat conuiuium vini, quæ est petitio tua Ester regina & dabitur tibi, & quæ est requisitio tuarum si dimidiam partem regni qua seruis impetrabis. Ad quem illa respondit: si inueni gratiam in oculis tuis ò rex & si tibi placet, detur mihi anima mea in petitione mea, & populus meus in requisitione mea. Traditi enim sumus. Iuxta Hebræum habetur. Quia fuimus venditi ego & populus meus in cōtentionem, occisionem, & interitum. propter pecuniam enim quam obtulerat Haman regi, dixit quia fuimus venditi. & utinam in seruis & ancillas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem. Iuxta Hebræum pro his vltimis sex dictionibus habetur. tacui. hoc est tacuissim: hebræi siquidem nullum habent præteritum nisi indicatiui. nūc autem hostis noster est cuius crudelitas redundat in regem. Et hæc quoque clausula sic habetur in hebræo. quia non hostis curans in damnationis. Sic iacet in Hebræo. Et non refertur ad taciturnitatem, sed ad venditionem: reddit enim rationem oblatæ pecuniæ quòd non ad repensandum damnum regis oblata est, sed in odium Iudæorum. Damnum autem regis appellat diminutionem prouentuum emerisuram ex diminutis subditis regis interfectis Iudæis.

Responditq; rex Acha' ueros, & dixit ad Ester reginam: quis est iste & cuius potentia ut hac audeat facere? Iuxta Hebræum habetur. & ubi iste est qui impleuit cor suum ad faciendum sic? Sententia est clara. Dixitq; Ester, vir hostis & inimicus noster est Haman iste malus: & territus est Haman à facie regis & regina. Rex autem iratus surrexit de loco conuiuij, & intrauit hortum arboribus consitum. Iuxta Hebræum habetur. de conuiuio vini ad hortum palatii. hortus enim palatii significatur tam hic quàm cū paulo post dicitur de horto nemoribus consito: utrobique enim hortus palatii duntaxat scribitur. Hamã quoque stetit ut rogaret Ester reginam pro anima sua, vidit enim quòd paratum esset sibi à rege malum.

Qui cū reuersus esset de horto arboribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Haman corruisse super lectum in quo iacebat Ester: & ait, an etiam reginam vult comprimere me præsentem in domo mea: verbum de ore regis exierat, & statim faciem Haman operuerunt, tanquam exosi regi & indigni conspectu regis. Dixitq;

xitque Charbona vnus de eunuchis qui stabant in ministerio regis: in lignum quod parauerat Haman pro Mordochai qui locutus est. Deficit bonum: legendum est. qui locutus est bonum super regem. reuelando conspirationem factam contra regem. stat in domo Haman, altitudinis quinquaginta cubitorum: cui dixit. Superfluit cui: legendum est, & dixit rex, suspendite eum super ipsum. Suspendisusque est Haman super lignum quod parauerat pro Mordochai: & ira regis quieuit.

## CAPVT VIII.

**I**n illo dedit rex Acha' ueros Ester regina domum Haman hasti Iehudæorum: & Mordochai ingressus est ante faciem regis. Qui hæctenus fuerat in porta palatii regis ascitus est ad ingrediendum coram rege: hoc est ad colloquium regium, ad conuersandum cum rege. confessa est enim ei Ester quòd esset patruus eius. Iuxta Hebræum habetur. quia indicauit Ester quid ipse sibi. Ratio translationis Mardochei ex porta ad conuersandum cum rege, redditur manifestata conuatio ab Ester inter ipsam & Mardocheum: erant enim patruales, ut superius patet. Tulitq; rex anulum suum quem ab Haman amoueri iusserat, & tradidit illum Mordochai. Summariū contingētium in exaltatione Mardochei hic scribitur: summatur enim eius exaltatio in tribus. quorum primum est quòd tanquam affinis regis ascitus est ad conuersandum cum rege. secundum est quòd rex dedit Mardocheo anulum quem olim dederat Haman: dedit autem non absolute, sed ad signandum literas in fauorem Iudæorum. tertium verò est quòd fuit Mardocheo prouisum de magnifica domo in qua habitaret. Hæc autem constituit Mardocheum super domum suam. Iuxta hebræum habetur. & posuit Ester Mordochai super domum Haman. Ecce tertium.

Nec his contenta, Iuxta hebræum habetur. Et addidit Ester & locuta est coram rege, & procidit ante pedes eius: & fleuit & deprecata est eum ut trāsire faceret maliciam Haman Agagita, & cogitatione eius quam cogitauerat contra Iehudæos. Prius narrata est gratia facta dicendo quòd dedit rex anulum Mardocheo: & nūc subiungitur modus quo impetrata est illa gratia, videlicet regina cum lacrymis genuflexa supplicante pro populo suo. Extenditq; rex ad Ester virgam auream: & surrexit Ester, & stetit ante regem. Et ait: si regi placet & si inueni gratiam ante eum, & si recta est res ante regem, & placeo in oculis eius: scribatur ad retrahendum



Etandum literas cogitationis Haman filij Medathæ Agarita quæ scriptæ ad perdendum Iehudæos qui sunt in omnibus provinciis regis. Quomodo enim potero videre malū quod inueniet populum meū? & quomodo potero videre interitum progeniei meæ? Dixitq; rex Achas ueros Ester regina & Mordochai Iehudæo: ecce domum Haman dedi Ester & ipsum suspenderunt in ligno, eo quod misit manum suam in Iehudæos. Scribite ergo Iudæi. Iuxta Hebræum habetur. Et vos scribite super Iehudæos sicut bonum in oculis vestris in nomine regis, & signate anulo regis. clarè enim subditur literas fuisse scriptas ad principes &c. quia litera scripta nomine regis & signata anulo regis non retractabantur.

Vocatiq; sunt scriba regis in tempore illo in mense tertio (ipse est mensis Siuan) in vigesima tertia eius: & scriptū est iuxta omnia quæ præcepit Mordochai ad Iehudæos & ad satrapas & duces & principes provinciarum quæ sunt ab India vsque ad Ethiopiam, centum & viginti septem provinciarum, ad vnamquamque provinciam iuxta scripturam eius & ad vnumquemque populum iuxta linguam eius, & ad Iehudæos iuxta scripturam & linguam eorum. Scriptæq; sunt epistola nomine regis Achas ueros, & anulo ipsius signata: & missæ sunt per veredarios, iuxta Hebræum habetur. in manu cursorum in equis equitantium velocissima animalia, mulos filios equarū. Mirum est qd in partibus illis adhuc nescirent vti sceminis equorum ad celeriter vehendum literas. crediderim id accidisse quia vnico tantum animali non mutato vehabatur cursor: & in longo itinere veloci motu durat plus mulorū genus quam equorum, qui per omnes provincias discurrentes, veteres literas nouis nunciis præuenirent. Superflua est hæc clausula. Quibus imperauit rex vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates & in vnum præciperent congregari, vt starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos cum coniugibus ac liberis & vniuersis domibus interficerent atque delerent. Iuxta Hebræum habetur. Quibus dedit rex Iehudæis qui in singulis ciuitatibus vt congregarentur & starent pro animabus suis ad destruendum & ad occidendum & ad perdendum omnem fortitudinem populi & provincia angustantium eos, paruulos & mulieres: & bona eorum in prædam. Sic iacet in Hebræo. sententia est clara. Vnum duntaxat restat ambiguum an paruuli & mulieres iungantur cum præda an cum clade: ex eo tamen quod literæ quas miserat Haman in perniciem Iudæorum comprehenderant sub clade paruulos & mulieres Iudæorū, par est vt paruuli & mulieres hostium sub clade quoque

que concludantur. Et constituta est per omnes provincias regis Achas ueros vna vltionis dies, tertiadecima mensis duodecimi: ipse est mensis Adar. Summāque epistola fuit vt in omnibus terris ac populis qui regis Assueri imperio subiacebant notum fieret. Iuxta Hebræum habetur. Poni edictum in singulis provinciis patens omnibus populis. Deinde sequitur. & paratos esse Iehudæos ad diem illum ad vlciscendam se de inimicis suis. Sententia est clara. Cursores equitantes velocissima animalia mulos, egressi sunt accelerantes & impulsu verbo regis: & edictum positum est in Susan palatio.

Mordochai autem egressus est a facie regis in vestibus regis, hyacinthinis videlicet & aerimis. Iuxta hebræum habetur. in veste regia aerina & candida. Interpres enim colorem hyacinthinū sæpiusimè interpretatus videtur colorem quem hebræi asserunt esse colorem aeris denominatum à colore quem præ se fert mare, qui sapphiro similis est. coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Iuxta hebræum habetur. & corona aurea magna, & amictus bysso & purpura. Summæ vestes erant istæ. omnisque ciuitas. Iuxta hebræum habetur. & Susan, ciuitas exultauit & letata est. communis siquidem lætitia quanuis non omnium narratur. Iehudæis autem fuit lux & lætitia, & gaudium & honor. Apud omnes populos vrbes atque provincias quocumque regis præcepta veniebāt, mira exultatio, epula atque conuiuia & festus dies. Iuxta hebræum habetur. Et in vnaquaque provincia & in vnaquaque ciuitate & loco ad quem verbum regis peruenit, lætitia & gaudium Iehudæis, conuiuium & dies bonus. hoc est iucundus. & multi de populis terra siebant Iehudæi, quia ceciderat paor Iehudæorum super eos. Isti qui timore conuertebantur ad Iudaismum, in numero hostium Iudæorum se supputandos credebant aut suspicabantur: & propterea præueniendo tempus vindictæ, professi sunt Iudæorum religionem.



N duodecimo autem mense (ipse est mensis Adar) in tertiadecima die eius, qua peruenit verbum regis & edictum eius vt fieret: in die qua sperabant inimici Iehudæorum dominari eis, versa vice dominati sunt Iehudæi odientibus se, Congregatiq; sunt per singulas ciuitates & oppida & loca. Iuxta Hebræum habetur. Congregati sunt Iehudæi in ciuitatibus



civitatis suis in omnibus provinciis regis Achas ueros ad mitem-  
dum manum in quereutes malum eorum: nullusque stetit ante eos,  
quia ceciderat paor eorum super omnes populos. Et omnes princi-  
pes prouinciarum & satrapae & duces & facientes opus regis, extol-  
lebant Iehudaeos: quia ceciderat paor Mordochai super eos. Queni  
principem palatii & plurimum posse cognouerant: fama quoque no-  
minis eius crescebat quotidie, & per cunctorum ora uolitabat. Cor-  
rige hanc clausulam. Quia magnus Mordochai in domo regis, &  
fama eius ambulans per omnes prouincias: quia uir Mordochai pro-  
ficiens & crescens. Ecce quae spargebantur de Mardocheo per  
omnes prouincias subiectas regi Assuero, propter quae time-  
batur. Percusseruntque Iehudaei omnes inimicos suos plaga magna:  
& occiderunt eos, reddentes eis quod sibi parauerant facere. Iuxta  
hebraeum habetur, plaga gladii & occisionis & perditionis & fe-  
cerunt contra odientes eos iuxta uoluntatem suam. Et in Susa occi-  
derunt Iehudaei & perdidit quinientos viros. Et Parsandati-  
tham & Dalphon & Aspatha. Et Poratham & Adaliam & Ari-  
datham. Et Parmasatham & Arisai & Aridai & Vaxatham. Decem  
filios Haman filij Medatha hostis Iehudaeorum occiderunt: in pradam  
autem non miserunt manum suam.

In die illa perlatus est numerus occisorum in Susa, coram rege.  
Dixitque rex Ester regina: in Susa occiderunt Iehudaei quinientos vi-  
ros & decem filios Haman, in reliquis prouinciis regis quid fecerunt?  
quae est igitur petitio tua & dabitur tibi, & quae requisitio tua ultra  
& fiet? Et dixit Ester: si regi placet, detur etiam cras Iehudaeis qui  
sunt in Susa potestas faciendi secundum edictum hodiernum, & de-  
cem filios Haman suspendant in ligno. Et dixit rex ut fieret sic, & po-  
situr est edictum in Susa: & decem filios Haman suspendunt.  
Congregatique sunt Iehudaei qui erant in Susa etiam die quattode-  
cima mensis Adar: & interfecerunt in Susa trecentos viros, in pra-  
dam autem non miserunt manum suam. Et reliqui Iehudaei qui e-  
rant in prouinciis regis congregati sunt & steterunt pro animabus  
suis & quienerunt ab inimicis suis: & occiderunt de hostibus suis  
septuagintaquinque millia, in pradam autem non miserunt ma-  
num suam.

Des autem tertiusdecimus mensis Adar unus apud omnes in-  
terfectionis fuit: & quattodecimo die cadere desierunt, quem  
constituerunt esse solemnem ut in eo omni deinceps tempore vacarent  
epulis, gaudio atque conuiuio. Iuxta Hebraeum habetur. In die  
tertiodecimo mensis Adar: & quiuerunt quattodecimo die eius, &  
fecerunt

fecerunt illum diem conuiuij & latitiae. Iudaei scilicet extra Su-  
san sparsi per prouincias. Iehudaei autem qui erant in Susa, ter-  
tiodecimo & quattodecimo die eiusdem in cade uersati sunt: &  
quintodecimo die eiusdem quiuerunt, & fecerunt eum diem conuiuij  
& latitiae. Idcirco Iehudaei uillam habitantes in ciuitatibus no-  
miratis, faciunt diem quattumdecimum mensis Adar latitiae & conui-  
uij: exultantque in eo, & mittunt sibi uino parte.

Scriptusque Mordochai uerba haec: & misit literas ad omnes Iehu-  
daeos qui erant in omnibus prouinciis regis Achas ueros, propinquos  
& remoti. Satuendo eis ut quattumdecimum & quintumdecimum  
die mensis Adar pro festis susciperent: & reuerente semper anno so-  
lenni celebrarent honore. Iuxta dies quibus quiuerunt Iehudaei ab  
inimicis suis, & mensis qui conuersus fuerat eis de dolore in latitiam  
& de luctu in diem iucundum: essentque isti dies conuiuij & latitiae,  
& mitterent sibi uicem ciborum partes, & pauperibus  
largirentur. Susceperuntque Iehudaei in sollemnitate  
perat: & quae Mordochai scripserat ad eos. Haman  
datha stirpis Agag. Corrige ut supra. Agagites hos  
Iehudaeorum conuenerunt contra Iehudaeos ad perdendum  
purim (hoc est sortem) ad conterendum & perdendum  
nisset Ester ante regem, dixit rex cum epistola alia, con-  
tatio eius mala quam cogitauit contra Iehudaeos in caput e-  
suspendunt eum & filios eius in ligno. Idcirco uocauerunt dies  
purim. Quod autem postea subditur, eo quod purim id est fors in  
urnam missa fuerit. Iuxta Hebraeum habetur, super nomen fortis.  
ratio enim Perfici nominis purim, redditur quia est nomen  
fortis: hebraei enim nomine Persico significat hos dies putim  
id est sortes. & cuncta quae gesta sunt epistola 1. libri huius volumi-  
ne continentur, quaeque sustinuerunt & quae deinceps immutata  
sunt. Iuxta Hebraeum habetur, super sic, super omnia uerba episto-  
lae istius: & quia uiderunt super sic, & quid euenit eis. Affirmant  
& susceperunt Iehudaei super se & super semem suum & super omnes  
copulatos sibi quod non omittetur celebratio istorum duorum dierum  
iuxta scripturam eorum & tempus eorum, singulis annis. Summa-  
rium est comprehendens statutum de his duobus diebus ser-  
uandis: & testificationem uisorum & successuum fuisse affir-  
matam & receptam ab omnibus Iudaeis. Et dies isti commemo-  
rabuntur & fient in omni generatione & generatione, familia & fa-  
milia, prouincia et prouincia, ciuitateque: & dies isti purim



transibant de medio Iehudeorum, & memoria eorum non desit à semine eorum.

Scripturuntq; Ester regina filia Abichail & Mordochai Iehudeus secundam epistolam: vt omni studio dies isti solennes sancirentur in posterum, Et miserunt literas ad omnes Iehudeos in centum & viginti septem provinciis regni Ahas ueros: verbis pacis & veritatis. Ad firmandum dies istos sortium in temporibus eorum secundum quod statuit eis Mordochai Iehudeus & Ester regina, & secundum quod firmauerunt super animam suam & super semen suum: verba ieiuniorum & clamoris eorum. Promittunt commemorare ieiunia versa in cōiuiua, & clamores luctus versos in gaudia. Et omnia que libri huius qui vocatur Ester historia continentur. Lege hanc clausulam sic. Et dictum Ester firmavit verba sortium istarum: & fuit scriptum in libro. Auctoritas reginæ stabilivit festiuitatem sortium & hoc fuit scriptum in libro annalium Iudæorum, & dederunt Iehudam & Dal-

## CAPVT X.

atham & Datham. Et postquam Ahas ueros posuit tributum super terram & insulas mari. Cuius fortitudo & imperium & dignitas que sublimitas qua exaltauit Mardocheum. Corripuit autem non misit hanc clausulam. Et omne opus fortitudinis eius & in die illa & expositio magnitudinis Mordochai qua magnificauit rex, nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Medorum atque Persarum: quo libro caremus. Quia Mordochai Iehudeus, secundus à rege Ahas ueros fuit, & magnus apud Iehudeos, & acceptabilis plebi. Iuxta Hebræum habetur, & acceptus multitudini fratrum suorum. Sententia est clara, & scito quod in hac clausula, videlicet. quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo, hoc est vniuerso populo Iudaico, terminatur liber Ester iuxta hebraicam veritatē. Ita quod sex seu septem sequentia capitula sunt apocrypha: & propterea non exponemus illa.

Et hoc in loco terminamus commentaria librorum historialium veteris testamenti: nam reliqui (videlicet Iudith, Tobie & Maccabæorum libri) à diuo Hieronymo extra canonicos libros supputantur, & inter apocrypha locantur, cū libro Sapientiæ & Ecclesiastico: vt patet in plogo galeato. Nec turberis nouitie si alicubi repereris libros istos inter canonicos supputari, vel in sacris cōciliis vel in sacris doctrinibus. Nam ad

ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba cōcilio quam doctorum: & iuxta illius sententiam ad Chromatium & Heliodorum episcopos, libri isti (& si qui alij sunt in canone Bibliæ similes) non sunt canonici, hoc est non sunt regulares ad firmandum ea quæ sunt fidei. possunt tamen dici canonici (hoc est regulares) ad ædificationem fidelium: vt pote in canone Bibliæ ad hoc recepti & authorati. cum hac enim distinctione discernere poteris & dicta Augustini in secundo de doctrina Christiana, & scripta in concilio Florentino sub Eugenio quarto: scriptaque in provincialibus conciliis Chartaginensi & Laodicensi, & ab Innocentio ac Gelasio pontificibus. Ad laudem & gloriā omnipotentis Dei: Romæ anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo secundo: ætatis verò meæ sexagesimo quarto, die decimanona Iulij, amen.

## COMMENTARIORVM THOMAE DE

Vio Caietani cardinalis sancti Xysti in omnibus historiales veteris testamenti libros, finis.

Ppp ij



















